



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. A serpentibus & leonibus puniti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

lorum: quia digni erant ab huiusmodi exterminari. Filios autem tuos, nec draconum venenatorum vicerunt dentes. Quod, ut minus mire- ris, hæc de illarum regionum muscis scribit Plinius: *Grandiores cernuntur. & tanto volant pennarum stridore, ut alia alites credan- tur, solemque obumbrant, sollicitè spectantibus populis, ne suas ope- riant terras. Longinqua maria transeunt, continuata plurium dierum fame, ut externa pabula petant; dira nube messes contegunt, multa contactu adurentes, omnia morsu erodentes.*

Sic, murmuratione facta, misit Dominus in populum ignitos serpentes, ita dictos, quia ab ijs morfi aduri videbantur, & ut alibi dicitur, in solitudine magna atque terribili fuerunt, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio ac dipsas. Itaque cum illis superuenit sa- ua bestiarum ira, morsibus peruersorum colubrorum exterminaban- tur. Sic, quando rex Achab regi Syria Benadab pepercit, cum posset & deberet occidere illum, tunc vir quidam de filijs Prophe- tarum dixit ad socium suum, in sermone Domini: Percute me: At ille noluit percutere. Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me, & percutiet te leo. Cumq; paululum recessisset ab eo, in- uenit eum leo, atque percussit. Alterum autem non percussit, qui Prophetæ obediuit. Leone, in ultionem, etiam alia vice vsus est Dominus, aduersus Prophetam inobedientem, quem inuenit Leo in via, & occidit: & erat cadauer eius projectum in itinere: asinus au- tem stabat iuxta illum, & leo stabat iuxta cadauer. Leone hic Deum vsus esse in pœnam, Prophetæ alter ostendit, qui ei pœnam præ- dixit. Ostendit & ipse Leo, qui non asinum, sed fessorem occidit; & id se fame impulsus non fecisse, ipsa abstinentia demonstra- uit. Neque enim de occiso quidquam gustauit, sed iuxta cum asinumque permanfit, ut, contra aliarum ferarum impetum, eos custodiret.

Sic non leonibus tantum, sed & vrsis vsus est iustissimus ju- dex, ad petulantiam malè educatorum puerorum plectendam. Ascenderat Elisæus in Bethel, cumq; ascenderet, per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende calue, Ascende calue. Qui, cum ressexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomi- ne Domini: egressi q; sunt duo vrsi de saltu, & lacerauerunt ex eis qua- draginta duos pueros. Tanti erat ludere. Sic jocum puniuit di-

Plin. lib. 10.
cap. 29.

VI.
Num. 21. 6.
Deuter. 8. 15
Sap. 16. 5.

3. Reg. 20. 36.

3. Reg. 13. 24.

VII.
4. Reg. 1. 23.